

abstineat et cesseret, ac cessare et abstinere debeat ab offensis omnibus, ita quod, durante dicto tempore trium annorum, aliqua predictarum partium, per se neque per alium, sive alios, directe vel indirecte, quovis modo non possit bellum, sive offensionem aliquam, aliquo modo inferre alteri parti; et hoc promiserunt realiter, bona fide et sine fraude, ab utrisque partibus inviolabiliter observari.

Item, quod in dicta treugua, ex parte præfati serenissimi et invictissimi domini Maximiliani, imperatoris electi etc., denominantur, ac pro inclusis, comprehensis ac denominatis habeantur, sanctissimus dominus noster papa Julius secundus, serenissimi et excellentissimi reges Hungariae, Aragonum et Angliae, ac omnes principes, comunitates et status, subditi et pertinentes sacri romani imperii, ubique locorum tales fuerint, pro confederatis, ac omnes et singuli amici, alligati et confederati præfatae cesareæ majestatis ac regum prænominatorum ac statuum imperii, infra terminum trium mensium nominandi. Ex parte vero illustrissimi ducis, et excellentissimi Dominii Venetiarum, expresse includantur, comprehendantur et denominantur, ac pro inclusis, comprehensis et denominatis habeantur serenissimus et excellentissimus dominus Ludovicus XII, franco-rum rex christianissimus, ac serenissimus et excellentissimus dominus Ferdinandus Aragonum etc. rex catholicus, confederati et præcipui amici prælibati illustrissimi ducis et excellentissimi Dominii Venetiarum, ac etiam omnes et singuli amici, alliati et confederati, tam præfatorum serenissimorum regum Franciae et Hispaniae, quam illustrissimi ducis excellentissimum Dominii Venetiarum, in Italia tantum constituti, infra terminum trium mensium nominandi.

Item, quod omnes subditi predictarum partium possint et valeant habere, tenere et possidere omnes et singulos eorum agros et possessiones, domos, redditus quoscumque et proventus suprascriptorum agrorum, possessionum et domorum, existentes in ditione alterius partis, prout habebant, tenebant et possidebant ante inchoationem præsentis belli.

Item, quod omnes et singuli dictarum partium subditi, de cætero possint et valeant transire hinc inde, et stare cum omnibus mercantiis et rebus suis, ac conversari et mercari secure et libere, ubique, et per omnia loca et ditiones dictarum partium, sicuti ante inchoationem præsentis belli faciebant seu facere poterant, omnibus impedimentis et contradictionibus penitus cessantibus et amotis.

Item, quod suprascripta treugua publicetur, die ex post declaranda, in civitatibus Tridenti et Ve-

ronae, et in locis castrorum et alibi, sicuti dictis partibus seu unicuique ipsarum expediens visum fuerit. Quæ dies ex nunc declaratur in hunc modum; videlicet quod in castris serenissimi et invictissimi domini imperatoris electi, apud Calianum stationantibus, et in castris illustrissimi ducis, excellentissimi que Domini Venetiarum in valle Mori agentibus, publicetur die crastina septima instantis, in civitatibus Tridenti et Veronæ in die Pentecostes, videlicet in XI instantis, et alibi ad libitum partium.

Et si forte contingeret, quod ab alterutra parte aliquid a prima hora publicationis in castris treuguarum præsentium occuparetur, quod illud quamprimum, absque omni contradictione, restituatur.

Demum, pro observatione omnium præmissorum, diei reverendissimus dominus Georgius, episcopus tridentinus, magnifici et clarissimi domini Nicolaus de Firmiano, Cyprianus de Serentem, Hainricus de Knoringen et suprascripti quatuor domini, nomine magnifici domini Pauli de Lichtenstain, per potestatem et libertatem sibi attributam, ut suprascriptum est, tam nomine cæsareæ majestatis, quam suo proprio, nec non præfatus magnificus et clarissimus dominus Zacharias Contarenus, eques, nomine illustrissimi ducis et excellentissimi Domini Venetiarum, ac suo proprio nomine, promiserunt ac promittunt hinc inde suprascriptam treugam, ac omnia et singula superius in dictis capitulis contenta, firma, rata et grata habere, tenere, observare ac inviolabiliter observari facere, et effectualiter et in totum adimplere, et non contrafacere, dicere vel opponere, per se vel per alium, sive alios, directe vel indirecte quomodocumque; et ita, manibus tactis sacris scripturis, ad sacra Dei evangelia jurarunt omnia et singula suprascripta fecisse bona fide et sine fraude ac integre observatores. In quorum fidem et testimonium, præsentes capituli treugae, scripti duplicate 268* per nos Cristoforum Hofman, secretarium serenissimi imperatoris electi, et Johannem Jacobum Caroldum, secretarium serenissimi principis et excellentissimi Domini Venetiarum, de mandato suprascriptorum dominorum, propriisque eorum manibus subscripti, et sigillis illorum muniti, ac cuiilibet dictarum partium exhibiti sunt.

Actum in monasterio Sanctæ Mariæ Gratiarum, agri archensis, die sexto iunii MDVIII.

GEORGIUS, episcopus tridentinus,
manu propria subscripsi.

Ego, NICOLAUS DE FIRMIANO,
manu propria subscripsi.